



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. IX. Solvitur objectio ab autoritate antiquorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

habet, atque adeo certus est, quoddam salutem necessarium sibi sit, in Catholica Ecclesia vivere: tamen, nescio, quibus de causis, vellet à Donatistis baptizari; cum tamen Catholici negent, extra casum necessitatis (de quo S. Doctor agit cap. *precedenti*) posse à Donatistis, tanquam hæreticis, baptismum suscipi, quamvis oppositum Donatistæ affirmant: & ait, talem graviter peccatum, si incerta certis præponat.

In hoc casu id nos quoque admittimus; quia, ut patet consideranti, talis nullam veram probabilitatem habet de licentia recipiendi baptismum ab hæretico, certumque ipsi est, non tantum tutius posse, sed etiam debere, baptismum apud Catholicos recipi. Nostra autem sententia non loquitur de casu, quo obligatio est certa, sed quo tantum certa est major securitas sententiæ, quæ sunt longè diversa; nam licet aliquando præponi incertam directam probabilitatem de licentia, alteri certitudini tantum de securitate majori sententiæ oppositæ, negari non potest; alias enim neque liceret operari juxta sententiam probabilissimam, contra magis tutam, adeoque certius securam: quod ab Alexandro VIII. in propositione 3. est damnatum.

327. Ob. 3. SS. Patres nullibi docent nostram sententiam: ergo non est ipsis conformis. Confirm. 1. SS. Patres docent, animarum regimen esse plenum periculis: sed non ita esset, si liceret uti nostrâ sententiâ: ergo. Confirm. 2. Sancti viri metuebant, etsi probabilius judicarent, aliquid esse honestum: ergo multo minus suadebant tantum æqualiter probabilis, & minus tuta. Resp. retorquendo argumentum. SS. Patres neque docent sententiam rigidiorē: imò de hac quæstione ex instituto non tractant. in forma neg. conf. vel dist. non est SS. Patribus positivè conformis. om. conf. non est ipsis conformis negativè, sive, nullatenus eis opposita. neg. conf. Ad 1. confirm. neg. min. Tamen adhuc est satis magnum periculum, ne omittantur etiam ea, ad quæ quis certò obligatur, ob varios scilicet timores, respectus humanos, spes, vel cupiditates, difficultates, & negligentias.

Accedit, quoddam sæpè occurrant casus novi, saltem ratione circumstantiarum, in quibus non statim occurrat, quid probabilius, vel æquè probabile, quandoque vix, quid Theologicè probabile sit: neque quisvis post lectam unam, aut etiam alteram casuum Summam statim erit universaliter bonus animarum dux: poterit tamen facilius esse bonus secundum quid, & aptus pluribus in locis agere parochum; aliàs si nemo, nisi in Theologia morali versatissimus, esset aptus animabus etiam ruri pascendis, quis rusticis provideret? Certè soli rigidissimi, qui ubique tuta præscribere vellent, etiam apti non essent spiritali regimini: sanè ad illos accedere rari. Ad 2. confir. neg. conf. Ubique viri sancti cum Jobo c. 9. v. 28. verentur opera sua, ne scilicet occulta passio irrepat, ne aliquis negligentia intercurrat &c. non tamen ideo nunquam suadent æqualiter probabilis aliis, licet forte ipsimet, ob majoris perfectionis amorem, faciant tutiora, non tanquam ex præcepto, sed tanquam ex consilio.

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

328. Dices. SS. Patres semper suadebant quæ magis videbantur conformia legibus, ac SS. Canonibus: ergo & nos debemus ea suadere. Confirm. Post decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. non amplius est ita communis sententia benigna: apud Gallos, & Belgas viget rigor: ex aliis etiam multi à benignis ad rigidos transierunt: inter quos Eminentissimus Aguirre, item Elizalde, P. Thyrsus, & alii: quin ullus à rigidis ad benignos transierit: ergo. Resp. neg. ant. quod probari non potest, saltem in hoc sensu, quòd SS. Patres suaserint tutiora, tanquam sub præcepto posita, & non tantum sub consilio, seu tanquam magis perfecta. Imò etiam Patres in Conciliis (idem dicendum de Pontificibus) sæpè nil auli sunt statuere, quando viderunt sententias hinc inde esse probabiles: nec voluerunt homines ad tutiora adstringere. Certè Concilium Triburienfè habitum anno 895. sub Formoso Pontifice canon. 48. ait, se nec definire, nec refutare aliquid *propter eos, qui diversè de eo sentiunt*: imò minus tutam, nec notabiliter probabiliorē sententiam amplecti permittit, ut quis scilicet utatur conjugio, quod bona fide inuit cum filia suæ spiritualis commatris, de quo dubium inter doctos tunc temporis erat, an valeret. videatur Cabasutius in hoc Concilio, canon. 48. Ad confirm. Etsi transierint aliqui ad majorem rigorem, tamen adhuc pro sententia, minus rigida, præferim ea, quæ tantum in casu æqualis probabilitatis sententiæ minus tutæ, docet licitum esse, hanc sequi, stant valde multi auctores, de quo plura inferius.

ARTICULUS IX.

Solvitur objectio ab autoritate antiquorum.

329. Ob. 4. Omnis antiquitas sensit, debere nos sequi sententiam, aut tutiorem, aut notabiliter probabiliorē: atqui non est præsumendum, quòd DEUS tantis sæculis permiserit tam universalem errorem, in materia morali, & obvia: aut, quòd docti communiter imposuerint tantum onus hominibus, absque sufficienti fundamento: ergo. Confirm. 1. Ipsi auctores benigni in aliis materiis sæpissimè probant aliquam obligationem, ex constanti traditione Ecclesiæ, quam colligunt ex communi usu fidelium, aut sensu Doctorum, per tempus immemorabile: ergo eadem probatio debet sufficere in hac materia. Confirm. 2. Doctores antiqui non sunt usi alia methodo regendi conscientias, nisi illa, quam didicerunt à majoribus, & quam viderunt, ab immemoriali tempore, à piis per consuetudinem adhiberi: ergo, cum semper adhibuerint eam, quam vocamus rigidam, signum est, illam methodum fuisse semper usitatam in Ecclesia DEI, & ab Apostolis derivatam in SS. Patres, ab his verò in posteros.

330. Resp. Similia à Mercoto, ac aliis, sæpè dicuntur, sed non probantur: nec libri, aut loci, ubi doctrina hæc contineatur, allegantur. In forma neg. interim majorem: de minore quid sentiam, paulò post dicam. Utrique ne-

R

gar

gari non potest, ex antiquis multis nobis fuisse contrarios; at, quod omnes contrarii fuerint, probari non potest: & imprimis, quod attinet ad SS. Patres, jam vidimus, ex iis solidi nihil posse probari: cum neutri parti sit factum exploratum, quid isti senserint: idem esto iudicium de aliis Doctoribus usque ad initium Theologiæ Scholasticæ, & Petrum Lombardum. Post hunc ex Scholasticis pro nostra sententia stant non pauci ex antiquis, quos afferemus in sequenti questione: quibus accedunt illi, qui affirmarunt, in dubio cæteris paribus sequendam benigniorem, ut S. Antoninus, Hostiensis, citati n. 325. & alii.

Favent nobis etiam ij veteres, qui admiserunt, excusare ignorantiam invincibilem à peccato; nam in æstimatione morali planè datur in casu æqualis probabilitatis aliqua ignorantia invincibilis ex n. 317. qui verò negarunt, hanc ignorantiam excusare, fuerunt apertè nimium rigidi. Sed & ipsi recentiores, rigidi dicti, non videntur constanter sententiam rigidam amplecti; ut enim ostensum à n. 321. sibi non constant in suo rigore; ut adeò autoritas sententiæ rigidioris, etsi sit magna, tamen non sit tanta, ut in ejus comparatione autoritas sententiæ benignioris, etiam ab antiquis proveniens, & præsertim recentiorum plurimorum consensu suffulta, sit minus habens, seu levis, censenda.

331. Jam, quod attinet ad minorem, diximus n. 260. debere admitti, quod DEUS permiserit valde diuturno tempore aliquem errorem, aut antiquorum, aut recentiorum: & non esse rationem dicendi, quod eum potius permiserit posterioribus, quam prioribus temporibus; quia DEUS, & potuit permittere errorem, qui per accidens esset multis causa peccati formalis, & potuit permittere errorem, qui esset causa peccatorum materialium. Cæterum, quod fuerit error prorsus universalis, ut omnes Doctores decepti sint, probari non potest: imò jam est ostensum, & ostendetur infra ulterius, etiam antiquiores quosdam rigorem hunc non approbasse; quare verum non est, quod omnes Doctores onus hoc grave imposuerint: quod autem illi, qui id imposuerunt, sine fundamento sufficienti id fecerint, probatur partim nostris argumentis, partim etiam solutione objectionum.

332. Ad primam confirm. neg. conf. & paritatem. In illis casibus ordinariè agitur de lege positiva Divina, cujus existentia potissimum ex constanti praxi est probanda, & hinc auctores adducuntur tantum ut testes continuæ praxis: in nostro autem casu agitur de lege naturali, scilicet, quod debeamus in dubio semper sequi tutius, vide num. 259. Insuper negatur suppositum, quod tam constans semper praxis, & opinio fuerit: certè istam adversarii non probant. Accedit, quod sint rationes graves in oppositum à paritate cum ignorantia invincibili, cumque legibus civilibus, à maxima gravitate oneris &c.

Ad 2. confirm. Rectè ait recentior quidam, hoc argumentum probare nimium; nam sic nulla sententia veterum deferri unquam posset, & omnis eorum doctrina deberet transferri ab Apostolis tradita, quod non est verum; cum multæ antiquorum sententiæ sint etiam ipsæ an-

tiquæ, sicut est innegabile. Certè complures ex antiquis Doctoribus censuere, non excusare à peccato etiam ignorantiam invincibilem, quod defacto communissimè negatur, & negati debet post decretum Alexandri VIII. damnantis triginta, & unam, propositiones, & præsertim secundam, quam adduximus n. 57. Si dicas, id non omnes sensisse, id quidem concedo (quamvis aliter senserit Gerson citatus num. 260.) at vicissim etiam dico, pariter non omnes antiquos sensisse, quod semper sequenda sit opinio tutior, aut probabilior. Si replices, saltem multos istud sensisse, repono etiam multos sensisse, non excusare ignorantiam invincibilem, imò in hoc principio fundasse rigidam suam affectionem. Accedit, quod DEUS decreverit, successivè illustrare Ecclesiam suam: insuper plurima disputationibus hominum reliquerit. Sic ante Scotum Immaculata Conceptio Beati-ssimæ Virginis, per unum, aut alterum sæculum, ita latuit, ut vix non erronea conferretur pia sententia, etiam maximis viris, in forma neg. ant. & conf. quæ non probantur.

333. Dices 1. Si sententia rigida non esset vera, nunquam eam tanto consensu fuissent amplexi Doctores; quia est sensui valde ingratum. At verò sententia, dicta benigna, sensui valde aridet, atque adeò mirum non est, statim fuisse in mores inductam. Hoc argumentum videtur alludere ad demonstrationem, quæ pro Catholica Religionis veritate solet afferri, scilicet eam nunquam propagandam fuisse sine miraculis; cum sensui sit valde adversa: cum e contra Machometismus, sensibus omnia indulgens, facile propagari potuerit absque prodigiis: atque adeò hoc argumentum sententiam benignam, saltem aliquo modo, cum Machometismo comparare videtur: quidquid autem de hoc sit, Resp. facillimè negando suppositum, quod tantus fuerit consensus Doctorum, & multò magis negando, quod homines ita communi studio fuerint in executione hanc sententiam amplexi, sicut innumeri populi amplexi sunt Catholicam fidem: certè à multis sententia hæc dicitur fuisse occasio aliqua multorum peccatorum formalium; eò quod multi ex erronea conscientia peccaverint, scilicet veram existimando sententiam rigidam, nec tamen eam sequendo. Nec DEUS deseruit, uno, vel altero sæculo, Ecclesiam suam, tum, quia nihil mali fiebat, si homines tutius sequerentur, tum, quia non omnino universalis erat consensus: potest autem DEUS permittere errorem, seu conscientiam erroneam, etiam in pluribus, quin possit dici deserere Ecclesiam suam, ut est innegabile. videantur dicta num. 260.

Quod autem dicitur, sententiam benignam, utpote sensibus mollem, statim placuisse recentioribus, seu Bartholomæum Medinam secutis scriptoribus, si ita intelligatur, quasi ipsismetiam arripserit ejus usus, non congruit sanctitati magnæ plurimorum talium recentiorum. Certè, si quis legat, quæ Patres Dominicani scribunt de Dominico Bannez, Joanne à sancto Thoma, ac aliis: vel quæ nostri de Suarezio, Lessio, Thoma Sanchez &c. non sibi facile persuadebit, eos sensui ita fuisse addictos, ut in hujus gratiam laxas doctrinas in scholas invehere voluerint.

nint. Sed nec in gratiam aliorum voluissent perdere animas suas, & doctrinam, propria opinione nimium laxam, orbi obtrudere. Quod autem jugum Domini, quantum licet fieri posse putarunt, reddiderint suave, & leve, reprehendendi non sunt.

334. Dices 2. Etsi omittatur, quod Doctores plurimi stent pro nostra sententia, non ideo est vera: ergo tamen non licet eam sequi, prob. ant. ut ait Seneca de vita beata c. 2. *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est:* ergo. Resp. dist. ant. non ideo hæc sententia est certo vera, om. ant. est probabilis vera. subdist. non est ex sola autoritate, om. non est ex ista, simul, & ex ratione, neg. ant. & conseq. Non sola auctoritate, sed etiam, & potius, ratione sententiam nostram probamus. ad prob. antec. dico, non esse satis modeste huc applicatum dictum Senecæ. Auctores gravissimi, & doctissimi, atque plurimi eorum etiam sanctissimi, non sunt tantum turba quædam, in pessima quæque, aut ignorantia vincibili, aut etiam malitia vix corrigibili, proruens: unde, quamvis multitudo pessimorum exemplorum non reddat sententiam verosimilem, id tamen utique præstat cumulus maximorum virorum, in aliquid consentientium: & si numerus Doctorum non reddat sententiam æstimabiliorem, ad quid adversarii tanto studio pro sua opinione auctores corradunt? ad quid toties prædicant, omnes antiquos pro ista stare?

ARTICULUS X.

Solvuntur objectiones à ratione.

335. **O**B. 5. Juxta nostra principia posset quis licet agere contra legem, quandoque est probabilis opinio de dispensatione, vel excusatione: hoc est falsum: ergo. Confirmatur. Qui agit contra sententiam tutiorem, agit contra conscientiam: ergo male agit, prob. ant. conscientia dicat, agendum esse tutius: ergo, si quis hoc non agit, agit contra conscientiam. Resp. neg. maj. in eo casu non datur æqualis probabilitas immediatè de licentia actionis, sed tantum de aliquo remoto, scilicet de dispensatione, vel excusatione: non est autem aequaliter probabile, quod quis, supposita tantum probabilitate de dispensatione, vel excusatione, licet agat; quia, quando lex est certa, & dispensatio tantum dubia (qualis est illa, quæ tantum est aequaliter probabilis) tenetur quis legem observare, ex dictis n. 263. Ad confirm. neg. ant. ad prob. dist. antec. conscientia dicat, agendum tutius, tanquam ex præcepto, neg. antec. tanquam ex consilio. om. antec. & neg. conseq.

336. Ob. 6. Quilibet, volens navigare ad Indos, eligit navem, tutius, & probabilius illuc perventuram: ergo quilibet volens venire in cælum, debet etiam eligere medium tutius, & probabilius. Resp. Hoc argumentum probaret, quod neque liceret uti sententia probabiliori; quia navigaturus ad Indos, cæteris paribus, si pru-

denter agit, eligit, si potest, navem certo perventuram, & non tantum probabilius perventuram. In forma dist. antec. si cætera omnia sint paria, conc. antec. secus, neg. antec. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. si quis enim habet rationabilem causam, e.g. quia navis minus tuta, pergit in aliquem portum, ubi ipse magnum potest sperare lucrum, vel quem cupe- ret etiam lustrare: vel quia in minus tuta navi habet aliquem, qui ipsi in via præstet alimenta, vel quia vitat nimis magnos sumptus, ipsi valde difficiles &c. potest prudenter eligere navem minus tutam, modo ea adhuc moraliter tuta sit.

Pariter in nostro casu potest quis ob rationes suas eligere sententiam minus tutam, æqualiter tantum probabilem; quia hæc omnino moraliter tuta est, præsertim, si per principia reflexa deponatur omne dubium; tunc enim non est periculum peccati, nisi materialis, quod à cælo non excludit, quando quis non tenetur illud evitare, uti non tenetur in nostro casu ob nostras rationes. Nec dicas, rem nullam comparari posse cum periculo salutis; nam etiam eodem fere modo nullum lucrum æquivalere vitæ, & tamen non censetur imprudens, qui ob lucrum eligit navem minus quidem, attamen adhuc moraliter tutam. Dein non est periculum salutis in nostro casu. vide dicta n. 283.

337. Ob. 7. Stante æquali probabilitate, pro & contra legem, est dubium de licentia: sed, hoc stante, non licet operari: ergo. Confirm. Æqualis probabilitas non potest esse certa agendorum regula: ergo non potest præbere licentiam agendi. Resp. dist. ma. stante æquali probabilitate, est dubium speculative, vel remotum, conc. ma. est dubium practicum, seu proximum, & tale, quod per principia reflexa non possit prudenter deponi. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. In casu æqualium rationum, pro & contra legem, potest quis reflexè dicere, legem sibi esse moraliter dubiam, nec sibi sufficienter cognitam, aut promulgatam, adeoque non obligare: & sic potest, per hæc, vel similia principia reflexa, dubium practicum deponere. Ad confirm. dist. antec. æqualis probabilitas non est regula certa, se sola, sine adjumento principiorum reflexorum. conc. antec. non est regula certa cum istis. neg. antec. & conseq. Posita æquali probabilitate de non existentia legis, potest quis secum ratiocinari ulterius, ac dicere, legem dubiam, seu invincibiliter ignoratam, non obligare, seque prudenter id facere, vel omittere, quod omnino absque passione prudenter judicat, sibi esse licitum, vel non præceptum. vide n. 223. ubi ostensum, quomodo possit dictamen reflexum certum de licentia erui ex præsupposita æquali probabilitate &c.

338. Ob. 8. Honestas, vel inhonestas objectiva, seu ipsarum actionum, non dependet ab opinionibus humanis: ergo, si actio non sit in se honesta, non potest excusari per dictamen probabile, sive directum, sive reflexum. Resp. Hoc argumentum (ut patebit expendenti probaret, nec excusare ignorantiam invincibilem, nec certitudinem apparenter talem, quod est falsum. In forma dist. antec. honestas, vel inhonestas materialis objectiva actionum, distin-